



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joan. Henrici Meibomii De Cervisiis potibusque &
ebriaminibus extra vinum aliis Commentarijs**

Meibom, Johann Heinrich

Helmeftadii, 1668

Caput Octavum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10160

quod Dioscorides in Curmi descriptione subjungit, similes
curmi potiones etiam in Occidentali *Hiberia* & *Britania*
 ex tritico parari; pro *Hiberia* aut *Iberia* quidem voca-
 bulo vocem *Hibernia* reponit: cervisiam verò, quam An-
 gli hodie *alam* vocant, Britannos antiquo vocabulo
Kuvrvv ait appellasse, & ex hoc corrupto hodie perperam
 apud Dioscoridem legi *curmi*, Verum nos ea nunc in me-
 dio relinquimus. Gregorius Holoander ad Ulpianum in L. ¹⁴
 si quis vinum. D. de trit. vino & ol. leg. & Guidus Panciro-
 lius Var. Lect. lib. II. cap. LXXXV. pro *camo*, quod habet Ul-
 pianus, substituunt *curmi*. Verum ea de re in ipsa *cam* hi-
 storia videbimus.

CAPUT OCTAVUM.

SUMMARIA.

1. Hispanorum potus *celia* & *ceria*. 2. de ijs locus Plinij.
3. de *celia* Flori. 4. vocis *indigena*, apud Florum acceptio.
5. de *celia* locus Orosij. 6. de utraque locus Polybii. 7. *Celia*
an à calefaciendis dicta. 8. *an eadem cum Oela Anglorum*. 9.
Ceria an à colore ceræ. 10. *an à Germanico zehren / epulari*.
11. *an zehren / fermentare*. 12. *celia & ceria an idem po-*
tus.

Hispanorum ex frumento potus *celia* & *ceria* erant. U-
 triusque meminit Plinius lib. XXII. cap. XXV. *Et frugum 2*
quidem hæc, inquit, sunt in usu medico. Ex iisdem sunt &
potus, ut Zythum in Aegypto, celia & ceria in Hispania. Me-
minit celia etiam Florus qui sub Trajani principatu vixit,
sub initium secundi seculi æræ Christianæ, lib. II. cap. XIII.
ubi de Numantinis ait: Eo necessitatum compulsi, ut destina-
ta morte in periculum ruerent, quam sese prius epulis, quasi
inferiis implevissent, carnis cruda & celia, sic vocant indige-
na ex frumento potionem. Ubi tamen vir clarissimus, Joan. 4

Freinsheimius ex MSS. Palatinis pro *indigena*, legit, *indigenam*, scilicet *portionem*, hoc est, *Πιχάριον πόνμα* ut explicat illustri Salmasius. Floro adde Orosium, qui sub initium seculi quarti floruit, & lib. v. cap. vii. de iisdem, & paulo plenius quidem, sic scribit: *Vltimo omnes duabus subito portis eruperunt, larga prius portione usi, non vini, cuius ferax is locum non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum à calefaciendo celiam vocant.* De potibus Hispanorum iisdem, licet nomen eorum non exprimat, capiendus est Polybius apud Athenæi Breviatorem lib. i. ubi tradit in ædibus Hispani cuiusdam regis, qui Phæacum luxum æmulabatur, stetit *κρατῆρας ἐν μέσῳ τῆς οἰκίας, δεγνέδς ὄντας καὶ χρυσῆς, πλήρεις οἴου κρέθου, crateras in medio atrij, argenteos aureos*, *7* *ὄσῳ*, plenos vino hordeaceo: *celia* puta, & *ceria*. Cæterum de *celia* originatione Orosium post duo fere secula sequitur Isidorus Orig. lib. xx. cap. iii. & à *calefaciendo* deducit, quasi *caliam*: sed absurdus, ut videtur Hadr. Junio Animadv. lib. ii. cap. xii. & Jo. Isaacio Pontano Glossario Prisco: Gall. *8* *eo*, quod vox non Latina sit, sed Celtica. Isaacius vero eandem putat cum *oela* & *ala* Anglorum, qua de re suo loco *9* dicemus. *Ceriam* Jo. Ruellius lib. ii. de nat. stirp. cap. xix. *10* & Junius loco adducto, à *colore cereo* derivant. At Ger. Jo. Vossius lib. i. de vitis sermon. cap. iv. & Matth. Martinus Lexico Philolog. dici malunt *ceriam*, non à Latina quapiam, sed Celtica voce *Gehren*/ quod Germanis etiam hodie est *vesci, epulari, concoquere*: nempe quod vim habeat alimonix, potusque sit alibilis. Isaacius e contra originem vocis accersit à *Gehren*/ quod Belgis (quemadmodum Germanis *eriam* superioribus) ait esse, quando potus fermentatur, ut ita loquar, sive à recenti coctura in spumam elevatur. *12* Abrah. Wernerus Orat. de Cervis, utramque & *Ceriam* & *Celiam*, per *μετὰ κρίσεως* literarum à *beria* Germanica derivat.

riva

rietas. Vossius vero & hoc addit, Hispanos mutata litera
 R in L, fecisse ex *ceria*, *celiam*: ut uterque ita potus unus
 sit idemque, nec diversus. Huic tamen hac in re assensum
 præbere nequimus. Licet enim tam *celia*, quam *ceria*, po-
 tus sit ex frumento, atque in hoc uno conveniant: diversum
 tamen à *celia*, *ceria* esse nomen, & *celia* à *ceria* non minus
 quam *zythi*, potuumque à nobis enumeratorum aliorum,
 vel ex Plinio docemur; quem diserte, ut *zythum* in Ægy-
 pto, ita in Hispania tum *celiam*, tum *ceriam* ex frugibus ef-
 fe potus, adfirmare diximus, nomine tamen inter se diffe-
 rentes.

CAPUT NONUM.

SUMMARIA.

1. *Camum*. 2. *Vlpiani ex Digestis locus*. 3. *eius sensus*
 4. *zerzuphum*. 5. *cicernum*. 6. *lectio vulgata retenta*. 7.
camum, an cammarum Apicij. 8. *an curmi Dioscoridis*. 9. *an*
lora. 10. *vinum d'Arigiov*. 11. *vinum d'σερφύλων*. 12. *ἰω-*
ρῖνα. 13. *lora an defrutum*. 14. *οἶν & σίρα*. 15. *defru-*
tum & sapa differunt. 16. *camum an cibus potabilis*. 17. *ca-*
malis cibus, Cælij Aureliani. 18. *eius lectio alia explicata*.
 19. *camum an vinum chamadrites*. 20. *camum proprie quid*.
 21. *de eo Priscij Panitis locus*. 22. *& Simonis Ianuensis*. 23.
camum ab Hebræo cham.

VLpianus JCrus, qui sub Alexandro Severo Imp. maxime
 floruit, circa salutis nostræ annum c c x x i i i. meminit,
 potionis ex frugibus, quam *camum* vocat, in L. si quis vi-
 num. ix. D. de trit. vino & ol. leg. ac sub vino legato eam
 contineri negat. Verba legis omnia, quod de ipsis deinde
 plura dicenda sint, adscribam. *Si quis, inquit, vinum lega-*
verit, omne continetur, quod ex vinea natum vinum permar-
fit. Sed si multum sit factum, vini appellatione non continebi-

E 3

sur